REGIMINIS GRAVIDARUM TENTAMEN,

QUOD EXERCITII GRATIA

PRÆSIDE

PRÆNOBILI, CLARISSIMO ET EXPERIENTISSIMO VIRO AC DOMINO,

D. FRANCISCO SCHOENMEZEL,

Philoſophiæ & Medicinæ Doctore ejusdemque Profeſſore Publico & Ordinario, h. t. Decano.

DEFENDET

JOANNES NEPOMUCENUS GRUBER, Heidelbergenſis, AA. LL. & Philoſophiæ Magiſter, & Medicinæ Candidatus.

IN AULA ACADEMICA,

Die 24. Julii, MDCCLXV.

Hora ante meridiem locoque conſueta.

HEIDELBERGÆ,

Typis Joan. Jacobi Hæner, Typographi Aulico-Academici.

29



REGIMINIS GRAVIDARUM
TENTAMEN.



§. I.

Inter Miſerias, quibus femininæ præ Maribus afficiuntur, Graviditas poteſt graviſſima dici, a Conceptionis initio ad partus terminum Centenis cruciantur Malis; en Miſeram, animus & vires languent, laceſſitur Vomitu, inapetentia, Nauſea, excav... oculî, roſeæ Pallent genæ, informem elegans tenue... men in molem elevatur, titubante incedit pede, ... venter Dolent, placido nec ſomno reficitur, jan... maxima anxietas mentem premunt, acuti ... acutiſſimï, donec excluſo prole ſubſiſtant, ... æque difficile ac grave, & mater, qua c... ïncommodis tota die vexatur? his ... flictatur; Sexus! qui inter mill... quodſi Medicorum eſt Sanitat... ret, ſiquæ cuncta a te inc... noſtras excedat vires... Arte medendi Ver... tractaſſe, non i... tiſſimorum ... commun...

❧ ❧

...æ rationi, quæ experientiæ conformia, mihi ...priam obtrudo nemini.

§. II.

Maxima in Corpore femineo poſt conceptionem ſucceſſive contingens mutatio, ad miram quarundam partium diſtentionem, preſſionem aliarum & humorum abundantiam redit, Cauſas malorum en efficientes; alia fœminarum Conſtitutio, ætas temperamentum, vitæ ratio ad diverſiſſima diſponunt, inde non omnibus eadem convenire præcepta, imo pro diverſo graviditatis ſtadio eadem & utilia & ſumme noxia fieri apertum eſt; Quo igitur fundamento venæ ſectiones, Cathartica, Emetica &c. Quidam omnimode rejiciant, & omnia terreis & Elixiriis aggrediantur, alii indiſcriminatim illa ſuadeant, videant illi; nos interim plura, quæ gravidis moleſta accidere, a conceptionis momento ad partum usque ſolent, ſedulo perpendentes, ut Cauſas eruendo veram medendi rationem inveniamus, ſtudebimus, e quibus concilia quædam ad plura gravidarum incommoda præcavenda depromere, non inutile judicamus.

§. III.

...moda miſeras ſæpe fœminas affligentia Vomitus
..., dolores enim, qui inde excitantur, violentia,
... quod gravidam debilitent, metum non in-
...rtus a longius protracto ſequatur, adde
...ua ciborum, ſi illa contingat, vires
...s blando a chylo renovati humo-
... corrumpantur; vomitus vel
...ue nono menſe acerbe ſæ-
...holericis ſæpius adeo
...ant, quodſi ad Cor-
...ntingit, reſpicias,
...ulo, & inde
...uam ute-
rus

rus per nervos relationem cum ventriculo habet, par ſiquidem octavum, quod ventriculo proſpicit, retro œſophagum ad arteriam cœliacam pari inter coſtali, a quo nervi utero, copulatur, his ſtrictura affectis & ventriculi eadem affici, ne dubites, mirum nervorum conſenſum quotidie experimur, unde Vomitus a renibus affectis, a Calculo Veſicæ, a dolore Colico, a prorumpentibus menſtruis periodicus? aſt peregrini Corporis irritationi uterus aſſueſit, unde nervis laxatis tumultus plerumque ſponte quieſcit: qui autem vomitus profectiore jam Graviditate invadit, vel ab utero nimium diſtento, ventriculumque premente, vel a Collectis in primis viis ſaburra pendet; a nimia abdominis mole, ab aſſumptorum parce ciborum retentione, & ſubſiſtente adhuc appetitu prius facile cognoſces, hoc nauſea, appetitus proſtratio, guſtus amarus, pondus & ardor præcordiorum, fœtens ſpiritus, certiſſime indicat: ne igitur eandem omni gravidarum vomitui medelam feras, quem ſpasmus excitat, relaxantibus, emollientibus, anodinis cohibebis, fruſtra calidiora & tonica tentantur, aucta inde ſtrictura malum pertinacius foret; ſane Corda, ne acutius Vibrata ſonet, fortius non tenditur: egregie hic quoque clismata emollientia proficiunt, affecto proximiora loco citiorem longe effectum edunt. Balnea, quod probe notandum, tepida tantum, ex aqua pura, vel cui herbæ emollientes incocta non negligenda, quanta enim virtute ſopiendos ad ſpasmos polleant, pluribus in morbis practico obſervatori innoteſcit; ne autem mox ad remedia confugiendum exiſtimes, ubi malum mitius, tenuis atque facilis, refrigeransque dieta optime conducit. Quodſi a quotidiano uteri incremento, indies viſcera magis premantur, ſæpius nimium auctus, ventriculo cibos continenti, debitum denegat locum, hic incipiente igitur digeſtione, extricato e cibis ſpiritu, tumidus dolet, & contenta, quæ retinere nequit, laceſſitus ejicit; omnem hic remediis operam ludis, cum cauſam nonniſi ſummo cum feminæ detrimento removere poſſis. Conſervæ & gelatinæ bene nutrientes, ſæpius de die repetitæ, parum animalium juniorum carnis, potus e vino meraciore cum aqua limpidiſſima & ſat frigida diluto, ſint pro nutrimento, ſic parce, aſt crebrius nutriendo leviſſimis, nec a Cibo, nec a flatu fatigato

amplius ventriculo optime proſpiciendo & vires & ſanitatem vix melius conſervabis. Tandem cum hæret putridus in primis viis latex, quem plurimæ ex inordinata dieta (heus quibus vulgare feminarum latet præjudicium, gravidis nil nocere, & niſi intenſo utut depravato harum appetitui ſatisfiat, periculum fœtui imminere) ſolicite colligunt, audacter naturæ viam preme, levi emetico ſortes educendo. Aſt ſunt, qui ad emetici contrementes nomen, contra clamitant, abortus inde metuendus, violenter concuſſo enim per vomitum univerſo corpore, a muſculis abdominalibus, & Diaphragmate uterus vehementer quatitur, inde non parum ad ejiciendum fœtum ſolicitatus, provida abſtinentia & digeſtivis ſordes corrigi aut levi cathartico tutius eliminari poſſunt. Pace veſtra momenta, quæ opponitis, ſolvere liceat; & vobis gravidæ erunt notæ, quæ crebrius geſtationis decurſu vomitum absque abortu ſponte ſunt paſſæ, non omnis igitur vomitus abortum procreat, quodſi autem juſtum vomitus violentior & protractus metum abortus relinquat, quis culpandus, an qui unico vomitu cauſam mali educendo feminam ab ulteriore liberam ſervat, an qui ridiculo retentus metu, cauſam mali alendo, continuo illam periculo exponit? verum remediis & abſtinentia ſaburram corrigitis, hance correctionem meum ſuperare captum ingenue profiteor, ratus ingeſta, quæcunque tum potius corrumpi, & abſtinentiam a feminis difficillime obtinendam, corruptionis gradum augendo, hanc ut in ſanguinem transferatur, aptiorem reddere; neque ipſi rebellis ſaburræ eductionem diſſuadetis, blandum proponitis Catharticum, ſed quæſo, nonne difficilius per inſignes inteſtinorum anfractus ſordes eliminandæ? unico quæ raro exhauriuntur laxante, nonne metuendum; ne motæ & dilutæ tot vaſa tranſientes bibula, partim reſorbeantur? aſt a blandiſſimis turbas quoque non leves excitari notatur, manna quid levius? ab unica illius uncia cum drachma tartari vitriolati feminæ ſat robuſtæ ultra vigeſies alvum depoſuere; imo adeo natura ad vomitum Proclivis eſt, ut ſæpiſſimë quæcunque cathartica virtutem ſponte emeticam exerceant. Quis igitur naturam, quo adeo manifeſte vergit, non ducet, nec ducenda leviſſimo adjuta ſtimulo rem ſola omnem optime abſolvit, ſic grani unici ſolutio

tarta-

tartari emetici in libra aquæ fontanæ cum pauco Syrupo capillorum veneris ad Cochlear unum aut alterum assumpta largam viridissimæ bilis ejectionem indies procreat, quod plurimis corroborare exemplis mihi non difficile foret.

§. IV.

Tædiosa ciborum inappetentia, molestus ventriculi ardor, acerbus dolor, & depravatorum appetentia a debilitata digerendi virtute pendent, cum enim crescente utero contenta quæcunque abdominis premantur, & circulum sanguinis per illius vasa retardari plurimum, necesse est, vitales nisi vires pro augmento resistentiæ increscant, ast tantnm abest, ut augeantur, ut potius a majore humorum quantitate, qua ad formandum natura fœtum indiget, apud delicatiores teneriores atque debiliores obruantur, bilem inde succum pancreaticum & gastricum depravari an mirum? nonne eadem qua cor, debilitate ventriculus laborabit, qui cibum, quem debite subigere nequit, appetat? alimenta male concocta corrumpuntur, eadem corruptione secreti ulterius humores depravantur, acredinem simul acquirunt, qua tunicas & œsophagi, & ventriculi, & duodeni rodendo intolerabilem ardorem & per consensum quandoque vagos per membra & lumbos dolores excitant, quodsi crudiora improvide assumantur, extricatus aër calore loci rarefactus mirum debiliores ventriculi tunicas constrictis a fortiore spinctere œsophago & pyloro distendit, atrocissimi inde dolores. Neque hic leni quidquam emetico præstantius, prompta cruditatum evacuatione prodest, & mire ab illius actione universum concutitur corpus, premuntur viscera præcipue abdominalia, quo lenti, tenaces, viscidi humores in glandulis intestinalibus hærentes melius exprimuntur, solvuntur & ad ejectionem aptiores fiunt, ipse quoque humorum circulus multum augetur, sic melior sanguinis miscela, humores tenuiores, & copiosior per poros cutis secretio obtinentur. Unde cum appetitu & vires & faciem floridàm supressis protinus doloribus redire mihi sæpius observare licuit. Unicam hic enarrasse historiam sufficiat; femina ad octavum mensem gravida languet,

 atrox,

atrox inceſſum vetans dolor femora tenet, ſævit idem ab umbilico ad dorſum, ut Corpus difficillime erigeret, noctes ſunt inſomnes, per aliquot dies cibum averſatur omnem, lingua ſicca, guſtus amarus eſt, ſitit, Ignorans obſtetrix partum inſtare contendit; ſummat ante ſomnum cremoris tartari drachmas duas, altera die cochlear unum ſolutionis tartari Emetici, ingentem viridis & fauces rodentis bilis copiam emovit, nox pacatior, parva. Rhei doſis altera die alvum blande ſollicitet, cumque tertia ructus quandoque amaros adhuc perſentiat, quarta duo Cochlearia ſolutionis tartari emetici repetat, copioſam aſt minus auſteram bilem ejicit, unde ad terminum usque evadens ſaniſſima, robuſta fuit prole recreata. Tartarum præprimis emeticum huic negotio aptiſſimum habeo, maxima, aquæ ſolutus mole ſucceſſive propinari poteſt, ad gradum, qui lenem excitare vomitum valet, neque ſic inopinatas a violentiore emetici actione turbas, neque anxietates, tormina & nauſeas a debiliore pertimeſco; & quantam in viſcidis humoribus ſolvendis virtutem poſſideat, niſi experientia edoctus vix credat, in primas non ſolum vias operatur, ſanguini mixtus leniter inertia vaſa & cor ſtimulat, vitales quo vigent vires, cum quibus integra brevi ſanitas redit; in ipſo tamen Cardialgiæ paroxismo ab hoc abſtineas, furente enim ſpasmo, novis ventriculum aculeis pungendo, indomito calcar equo adderes. Poſt hauſtum aquæ largum digito gula ſollicitetur, tutius ſufficiens evacuatio, pro libitu reiteranda obtinebitur; atque ſi dolor non minuitur, frigidam hic experiri liceat, præter quod acredinis Stimulos obtundat, rarefactum aërem condenſat, robur ventriculi auget, jamque diſtentis minus & laceſſitis ventriculi parietibus ſpasmus ſubito conquieſcit; novi feminam, quam gravidam, & poſt puerperium aſſumptis cibis acerbiſſima miſere Cardialgia torquebat, neque fomenta calida, neque clismata quidquam proficiebant, neque liquor anodynus, neque opium (quod Vix crederes) ad tria grana deglutitum paroxismi atrociam infringebant, ſitiens intenſe, frigidam, quam appetebat, avide ingurgitat, en omnem ceſſare dolorem mirabunda lętatur, redit malum, potus haud ſufficit, linteum exterius frigida madefactum applicat, feroces denuo dolores oculi nictu compeſcuntur, hoc

que

que munita ſpecifico novos jam inſultus ridet. Inſtituta evacuatione ſelectus cibus, potus vini veteris aſt diluti, roborantia incidentibus mixta, quæ in forma fluida ob faciliorem per vaſa bibula reſorbtionem præfero, moderata aſt repetita ambulatio omne negotium abſolvere videntur, neque terrea, ubi acidum in ventriculo & primis viis hæret, ſpernendum edunt effectum, illa hujus vim non ſolum infringunt, ſed ſæpe in novum quaſi ſal medium mutata, levi ſtimulo alvum ſolicitant, ſicque pravæ excretionem materiæ promovent.

§. V.

Eadem vitiata digeſtio ut plurimum capitis dolorem & hemicranias, jejuno ventriculo & poſt prandium gravidis adeo moleſta inducit. Mira Caput Sympatia cum ventriculo nectitur: vel enim craſtinæ digeſtionis reliquiæ acres ventriculum rodant, vel lente & imperfecte ſoluti cibi in ventriculo diutius morantes, gravitate & aëre extricato, & aciditate aut rancedine brevi inductis infeſtent, caput inde affici experientia docet; a nervis a capite ad ventriculum deductis id provenire ratio ſuadet, licet quo fiat modo explicatu difficilius ſit. Vomitorii efficaciam in hemicraniis admodum rebellibus ſæpius ſum expertus, & quantum reiterata lenia vomitoria confortando ventriculo inſerviant obſervationes apud Authores fide dignos clare monſtrant. Inſtituta autem evacuatione debita, amaricantia, quæ digeſtionem promovent, cortex Peruvianus robore quod concilat, maxime proſunt, cibi ſint ſelecti, digeſtionis facillimæ, quodque probe notandum, ſollicita plurimum manducatio commendetur, qua cibi melius & attriti, ſalivaque irrigati penitus longe facilius ſubiguntur. Neque poſſum, quin egregii potus Coffe uſus, hic mentionem faciam, femina nobilis dira aſſumpto prandio hemicrania vexatur, longo ſat tempore plurima in caſſum remedia tendat, ad expertiſſimi concilium medici, incipiente digeſtione, indies, aliquot vaſcula decoctionis Coffe haurit, & ab iſto in hunc diem malo liberata.

§. VI.

Alvus gravidis ut plurimum aſtricta uberrimus malorum fons exiſtit, putrida enim colluvies in inteſtinis diutius retenta mole & pondere inteſtina gravat, acredinem induit, flatus gignit, pars volatilior ſanguinem petit, imminentia inde tum feminæ tum fœtui mala quilibet perſpicit. Sollicite igitur aperta ſervetur: ad conſuetudinem tamen reſpiciendum, qua quædam citra noxam per aliquot dies conſtipationes ferunt. Clysmata hic emollientia optime conducunt, craſſiores emolliendo fœces leni ſtimulo illarum excretionem promovent. Diverſæ Pillularum maſſæ, huic negotio commendatæ adeo, mihi ſunt ſuſpectæ: neque enim omnibus draſtica, quibus componuntur conveniunt: dira inde tormina memini: & natura ſucceſſu temporis his aſſuefacta non niſi notabili ingeſtis doſi paret, partem ad ſanguinem duci, nullus negabit, nonne autem ab orgasmo, quem ſanguini conciliant, hæmorhagia gravis, & ab illa abortus eo magis metuenda? quod aloe his maſſis ut plurimum mixta, vi quaſi ſpecifica ſanguinem atenuando & rarefaciendo hæmorhagiis inducendis maxime idonea ſit. Ne autem ſegnior Clismatibus reddatur alvus, mane cum e lecto ſurexerit femina, ſponte indies alvum exonerare, experiatur, habitum ſic omni remedio melius alvum ſollicitantem contrahet.

§. VII.

Neque hæmorrhoides malum feminis minus moleſtum ſunt, quæ ſæpius æque ac alvus aſtricta, quam rariſſime comitem non habent, a debiliore inteſtinorum tono, quandoque a ſanguinis abundantia vel viſcoſitate, quandoque a preſſione uteri proveniunt: ſanguis in vaſis venæ portæ regurgitans in hæmorrhoidalibus præcipue ob rectam horum directionem ſtagnat, varicoſi circa anum rami ſanguinem in Celluloſam ſudantes, dolentia gignunt tubercula, quæ non raro in abſceſſus abeunt, iidem cum inteſtinorum membranis intertextos tendentes nervos, ſpasmos & dolores Colicos excitant: acumulatus in venis ſanguis, a tergo

in

in arteriis mesentericis fluenti obstaculum ponit, turget inde, & diametrum illarum distentit, cumque exterius quasi tunica ex nervis involutæ sint, anne dolores inde lumborum sæve lancinantes, sæpius ad femora protractos miraberis? a calidioribus quibuscunque caveas, quæ congestionem sanguinis in abdomine augendo, cum sæviore dolore & abcessus, & maxime noxias hæmorrhagias non raro inducunt, emollientia leniterque stimulantia clismata blando calore spasmum sopiunt, & leni stimulo motum peristalticum excitant, stagnans quo sanguinis egregie propellitur, lenis potio cathartica, epitemata emollientia & resolventia calide abdomini applicata, emulsiones nitratæ, potus incidens & dilluens eodem scopo inserviunt. Rarior mihi amata quibusdam nimium venæ sectio est, vitalium sanguis virium fons est, parciores ex superveniente illius jactura augeri vix mihi persuadeam: debiliorum igitur sanguini parcendum existimo, cum fortioribus, quibus cruor abundat, secure detrahatur. Venæ sectiones autem in gravidis nunquam in pede instituantur, raro enim, docente experientia, sine molimine abortum minante celebrantur: Neque mirum, vasa uterina ab hypogastricis, quæ illiacorum ramificationes, proveniunt, eadem vasis pedum origo est, quam primum saphena tunditur, iminuta resistentia sanguis per arterias illiacas celerius afluat, necesse est. Igitur per illarum ramificationes, quo arteriæ uterinæ pertinent; interim per illiacam redux venam, vi a sanguine per illiacam externam & hypogastricam refluo composita procedit, qua, minore sanguinis quantitate ob venam tusam reverdente, iminuta, ille lentius movetur; cumulatur ergo circa uterum, sicque vasis sanguine repente turgidis, vel lenes illorum cum placenta nexus solvi, vel stimulo inde nato ad uterum delato, fibræ illius motrices ad abortivas contractiones iritari facile possunt. Superato paroxismo incidentia & dilluentia additis apperientibus & blande roborantibus adhibeantur, bona sollicite digestio & alvus aperta curentur, quod facili alvumque moliente & flatibus experti cibo obtinendum.

 §. VIII.

§. VIII.

Sunt feminæ ſat robuſtæ plethoricæ; vigentes, crebriori per venam evacuationi aſſuefactæ, bono gaudent apetitu, parum moventur, largo in ſuper menſtruorum profluvio purgantur, cum concipiant, vires illis deficiunt, ad leviorem motum cor illis palpitat, & Spiritus deeſt, angore premuntur, venæ tument, arteriæ fortius micant, calent, ſitiunt, inſomnes aut nimium ſomnolentæ ſunt, ſæpius & caput & oculi dolent, accedit inapetentia, niſi medela feratur, hæmorrhagia inſtat, ſalutaris quandoque per nares: periculoſior per pulmones, licet ſæpius absque noxa: periculoſiſſima per uterum, ad tertium, ſeptimum, octavum menſem, aut terminum graviditatis ſi contingat, abortus cum inde non raro ſequatur, aut ſoluta ante partum placenta enormem ſanguinis jacturam & feminæ & fœtui ſæpiſſime lethalem inducat. Repetita hic venæ ſectio ſola medetur, licet diluentibus, temperantibus, blando exercitio, profida abſtinentia, leni cathartico regeneratam ſanguinis abundantiam tutiſſime præcaveri, non negaverim. Certa ſanguinem inter, vaſorumque vires proportio exiſtit, vaſorum inertia, nimia ſanguinis copia, utraque ſanitati æque noxia ſunt. Reducendæ proportionis, ſi ſanguis abundet & tutius & promptius præ venæ ſectione remedium ignoro: cum autem tanta ſanguinis copia gravidæ omnes non abundent, imo in quibusdam vires potius vitales deficiant, venæ ſectionem cunctis præſcribere noxium duco; parum menſium ſupreſſio me movet: computa, quæ formando fœtui inſerviunt, quæ placentæ impenduntur, quæ liquorem animos fundunt, quæ major uteri textura ſpongioſa abſorbet, hæc in plurimis quantitatem noni meſtris menſtrui ſuperabunt; Noxiæ igitur plethoræ manifeſta niſi ſigna imineant, absque matris & fœtus noxa, venam tundi, vix credo, matri fons virium & debitum fœtui nutrimentum minuuntur. Miſeræ proles, ex hauſtam immerito naturam conqueramini, præ judicii victimæ, Ars ſaluti deſtinata vos in ovo enervat: etenim cum tenera, delicata, debilisque Mater crebrius ſanguinem perdat, omnes ut vires collabantur, qui aliter fiat. Robuſtiſſimum, crebrior ſanguinis emiſſio debilitat: neque iminuto

nuto ſanguine reſiſtentiam, qua vires vitales deſtinato melius officio fungantur, removeri contentas, anne in hæmorrhagia exhauſto vires hæſigent? anne a longo reconvaleſcenti morbo repetitis venæ ſectionibus vires reſtituuntur? Omnes robur ventriculi vires ſuſtinet, a perfecta digeſtione ſanguificatio, nutritio, ſpirituum animalium debita ſecretio, a quibus demum ſalutis integritas pendent; in illo igitur firmando negotium omne ponendum, modicus aſt crebrior cibus, parum aſt veteris vini, poſt cœnam & prandium amara, tonica jejuno ventriculo, facta digeſtione ambulatio moderata hic accommodata videntur, neque cæteroquin quæ corporis habitum firmant, negligenda, plurimum enim aër ruralis & montanus, plurimum frictiones proſunt, hæc vires incitant, quibus Circulo ſanguinis aucto, hic debite elaboratur, ſic vegetum vigens mater fœtum, procreabit.

§. IX.

Plus moleſtiæ quam periculi, tumor pedum œdematoſus, niſi a cachexia aut labe viſceris proveniat, gravidis gignit, appetitus illis ut plurimum viget, cæterumque ſat bene ſe habent, verum ob cutim abaquis expanſam ægrius incedentes, & ob debiti defectum circuli ſanguinis, laſſæ Citius fiunt: cum grandiori utero, illiaca prementi vaſa, affectus hic tribuendus, omnem ut plurimum medelam reſpuit, attamen, cum Corpore de nocte ſupino vel evaneſcat, vel maxime minuatur, huncce ſitum circulo ſanguinis per pedes commodum, quantum fieri poterit retineant, Cingulaque tibialium reditum ſanguinis retardantia abſint. Neque ſuffitus aromatici contemnendi, cutim, Muſculos & vaſa roborant, ſicque Circulum incitant, facilemque ſeri in Celluloſam ſeceſſum impediunt, cum interim calor ſtangnantis partem diſſipet, eidem ſcopo & frictiones ſiccæ, lotiones ſpirituoſæ & faſciæ in ſervire poterunt.

§. X.

Majoris jam momenti præcipue grandiores ſunt varices, acutum, ſæpius inflamatione ſtipatum, dolorem excitant, quando-

que notabilem ruptæ ſanguinis copiam fundunt, quas, cum preſſæ ab utero venæ illiacæ inducant, tollere ſæpius impoſſibile eſt. His quoque ad præcavendas noxas, ſitus pedum horizontalis idoneus eſt. Faſciæ leni preſſione ſanguinem coercendo, atque vaſa frimando rupturas avertunt, orta inflamatione, plethoricis vena ſecetur, ſæpius ſola varicis apertura tutiſſime medetur.

§. XI.

Quo propior gravidis terminus, eo magis ſegmentum uteri inferius a pondere capitis, incumpente ſuperiori pelvis oræ, deprimitur, quod ſæpe cum veſicæ vel illius colli preſſione contingit, Arctata hæc & preſſione laceſſita minus lotii continens ad illius ejectionem continuo ſtimulatur, repetitum ejusmodi profluvium mucum ex urethra abluit, unde urina tandem non ſine ardoris ſenſu emittitur. Cum a Capite pubi incumbente incontinentia illa proveniat, fœtu ſitum hunc mutante ſæpius ſponte ceſſat, interim ſi longior foret, potus parce ingeratur, an Caput arte removeri poſſit, provide tendetur: Situm hic ſupinum, quo proprio pondere ad os ſacrum Caput magis nititur, non parum prodeſſe nullus dubito: aſt ubi collum veſicæ fortius premitur Urina retinetur omnis, tumet veſica, dolet acerbe, dilataque opera inflamatio, febris, Convulſiones, & Mors imminent. Damnoſe hic diureticis, Epitematibus, linimentisque tempus & opera teritur, ab Urina, inde copioſius ad veſicam confluente, malum exaſperatur, neque Catheter, cui a mole Capitis aditus præcluditur, feliciore cum ſucceſſu adhibetur, neque repetita ſanguinis detractio, qua obſtaculum non tollitur, juvat, Caput debita enchyreſi removeatur, malum, Urina mox profluente, ceſſabit, aut ſi extenſa nimium veſica ſe contrahere nequeat, facile jam ſiphone liberabitur.

§. XII.

Gravidis Catamenia ſiſti vulgo inoteſcit, ſunt tamen, quorum uterus, cum conceperit, ſanguinem adhuc periodice emittit

quæ-

quædam ſine noxa, aliæ non ſine inſigni virium jactura hoc ferunt; ſanguinis abundantia, vaſa cervicis uterinæ & vaginæ laxiora, cruor tenuis, acer plerumque in cauſa ſunt. Nunquam omni hic fluxus periculo caret, quibus enim minima nec moleſtia inde creari videtur, attamen ſanguis circa uterum copioſius congeritur: & quam facile tenera ex utero in placentam decurrentia rumpuntur vaſa? plethoricis igitur debita venæ ſectione, temperantibus, nitroſis, clismate, leni cathartico, Caveatur. Cachecticis & Cacochymicis crebrior ſanguinis amiſſio certiſſime nocet; virium inde major proſtratio, quæ ſanguinis craſin indies pejorem reddit. Appropriatis igitur remediis hi affectus mature agrediantur, niſi fœtum aut in utero perimi, aut ſumme debilem in lucem edivelis, neve mater Gravidatis & puerperii moleſtiis oppreſſa, longiore conſumpta morbo pereat. Aſt ubi tertio, quarto aut ſeptimo menſe præcipue cum in Corpore plethorico vehemens vel animi vel Corporis comotio vel inſignis exagitatio ſanguinis præceſſerit, aut uterus ex crebriore abortu, ſeu congenita diſpoſitione habitum vel facilitatem contraxerit, ſanguis ex utero funditur, pejoris multo indaginis eſt: quod ſi tunc dolores lumborum ad inguina deſcendant, atque ſanguis hisce furentibus rivuli adinſtar profluat, rariſſime abortus non ſequitur. Partem enim placentæ, vel omnem ab utero ſolutam intelligis. Summa tam Corporis quam animi quies, repetita venæ ſectio, temperantia, nitrata, potus frigidus, dieta tenuiſſima, levius quandoque malum avertunt. Anodinis hic minus fido, cum dolores ad partum ab illis ſuſcitari & intendi poſſe, experientia noverim. Hæmorrhagia, quæ ex acreta orificio uteri placenta originem ducit, omnium eſt peſſima. Femina, duabus quandoque tribus ante partum ſeptimanis inonopinate, quin anſam dederit, & ſine inſigni dolore copioſum ſanguinem amittit, plofluvium ante partum non ſine inſigni virium jactura aliquoties redit, cumque jam dolores inſtent, maxime augetur. Segmentum uteri, inferius ſi exploratur, non atenuatum, uti fieri ſolet, ſed in conum truncatum breviorem deſinens reperitur, neque deterſum eſt orificium, inter craſſiora tumentiaque labia, rima hians detegitur grumis referta, quibus remotis, Corpus

ſpongioſum tangitur. Quæ vaſa roborant & ſanguinis impetum ſimul coercent, vimque aliquam ſtipticam ſanguini conciliando vaſorum contractionem promovent, maxime adhibeantur, ante partum quiete, regimine frigido, potionibus nitratis, julapiis e Spiritu Sulphuris Terra Catechu & Syrupo acidulo confectis, parva venæ ſectione optime conſulitur; copioſa ſanguinis detractio vires præter neceſſitatem frangens, tam parum reditum hæmorrhagiæ avertit, ut hiantia percontingentem tunc temporis orificii dilatationem vaſa, vi contractili magis deſtructa, uberius ſanguinis profluvium ſummo cum detrimento concedant, attamen feminam utut debilem calidioribus reficere cardiacis caveas. Si partu inſtante opus naturæ committitur, nunquam fœtus vivus excluditur, & ſalva rariſſime Mater evadit, medelam autem, cum ad artem obſtetritiam pertineat, ſilentio eo lubentius præterimus, quod litem inter authores de hac verſantem componere, integram diſſertationem expoſcat.

MONITA.

Cibus Gravidarum ſit ſelectus & digeſtionis facilis, tutius eſt crebrius quam nimium Cibi aſſummere §. III. IV. V.

Potus ſit ſufficiens atque temperatus aqua, quæ ſanguinem exagitant, copioſius ingeſta, nunquam periculo carent §. XII.

Bona ſolicite digeſtio curetur, & ad ventriculum, an officio rite fungatur, ſemper reſpiciatur §. III. IV. V.


Nunquam ultra bidum, ni peculiaris adſit conſuetudo, clauſa maneat alvus, ad reſſerandam clismata quibus cunque laxantibus prævaleant §. VI. VII.

Sanguis, niſi plethora urgeat, non detrahatur §. VII. VIII. XII.

E brachio nunquam e pede mittatur, omnis motus violentior & grave animi patema a gravidis vitetur §. VII.

Levis tamen Commotio plurimum ſalutaris §. IV.

Cronico detentarum morbo ſanatio ante puerperium tutius agreditur §. VIII.



POSITIONES PHYSIOLOGICÆ.

I. *Arteriæ ſunt vaſa decreſcentia vi contractili prædita.* II. *Sanguinem, quo nunquam deplentur, a corde receptum toti Corpori diſtribuunt.* III. *Venis, quarum diametci ad Cor usque creſcunt, ſanguinem recipientibus terminantur.* IV. *A quibus ſanguis ad Cor reducitur.* V. *Muſculoſa arteriis tunica eſt, venis deficiens, quarum plures valvulis ſtipatæ ſunt.* VI. *De arteriis lymphaticis & ſeroſis dubitamus.* VII. *Motus humorum totius Corporis cauſa primaria eſt Cordis motus ſincronus.* VIII. *Attamen contractio arteriarum, reſpiratio, motus Muſculorum, valvulæ ad oſtia ventriculorum & ſinuum, uti in venis, æquilibrium humorum Circulationi partim neceſſaria ſunt, partim illam multum juvant.* IX. *Influxus ſpirituum animalium in Cor & arterias non eſt unica hujus motus Cauſa.* X. *Cor muſculus dici debet.* XI. *Sanguinis partes ſunt heterogeneæ.* XII. *Partim tenues limpidæ Coagulabiles, partim aquoſæ volatiles, partim viſcidæ, partim oleoſæ, partim terreæ, & ſalia & martem Chymia ex illis erruit.* XIII. *Ex hoc fonte plures ſecedunt humores in quatuor Claſſes redigendi: lympha ad ingnem coagulabilis, ſerum fluidum non Coagulabile, mucus lentus & viſcidus, liquidum oleoſum.* XIV. *Omnis humor vel immediate ex arteriis minimis in vaſa venoſa aut celluloſam in ſubſtantiam vel ex glandulis deponitur.* XV. *Glomeruli ex quam plurimis vaſculis minimis arterioſis venoſis lymphaticis & nervis compoſiti, parvique folliculi ex membrana tenuiſſima, modo Canali exiguo, modo ſimplici foramine aperti glandulæ audiunt.* XVI. *Nutritionem & incrementum lympha Coagulabilis præſtat.* XVII. *Attractio & expulſio aëris in pulmones reſpiratio dicitur.* XVIII. *Muſculi ſupra & infra coſtales, Diaphragma, dilatando thoracem Inſpirationis, Elater Coſtarum Expirationis nobis præcipua Cauſa videtur; ſcalenos, ſubclavios, pectoralem majorem & minorem ſeratum anticum majorem merito*

ex

ex classe Musculorum respirationi inservientium expungimus. XIX. *Respiratio ad vitam maxime necessaria est.* XX. *Circulum sanguinis promovere, Calorem & densitatem illi conciliare, huic etiam aërem admiscere, illius officia primaria videntur.* XXI. *Aërem pleuram & pulmonem inter admittendum esse nobis videtur.* XXII. *Substantia cerebri paritm vasculosa uti Corticalis, partim spongiosa uti medullaris admitti potest.* XXIII. *Omnes nervi ex illo vel mediate vel immediate educuntur.* XXIV. *Qui liquido tenuissimo in hoc deposito, quod Spiritus Animales dicimus, irrorantur.* XXV. *Quod requiritur omnem ad sensum & motum.* XXVI. *Nervos alios ex cerebello alios ex cerebro oriri non admittimus.*



ERRATA GRAVIORA.

Pag. 1.	Lin. 1.	lege - - -	feminæ
	Lin. 5.	- - - - -	oculi
	Lin. 10.	- - - - -	exclusa
	Lin. 14.	- - - - -	præesse
	Lin 15.	- - - - -	sique
	Lin. 19.	- - - - -	sententiam
Pag. 2.	Lin. 6.	- - - - - -	feminarum
	Lin. 18.	- - - - -	feminas
Pag. 3.	Lin. 3.	- - - - -	intercostali
	Lin. 29.	- - - - -	incipiente digestione
Pag. 4.	Lin. 7.	- - - - -	sordes
Pag. 6.	Lin. 7.	- - - - -	evomit
	Lin. 23.	- - - - -	si post haustum
	Lin. 34.	- - - - -	lætatur
Pag. 8.	Lin. 17.	- - - - -	attenuando
Pag. 9.	Lin. 9.	- - - - -	sanguis
	Lin. 25.	- - - - -	hypogastricam
	Lin. 33.	- - - - -	molliente
Pag. 10.	Lin. 2.	- - - - -	appetitu
	Lin. 7.	- - - - -	inappetentia
	Lin. 15.	- - - - -	brevius reversuram
	Lin. 25.	- - - - -	amnios
	Lin. 14.	- - - - -	fœtu
Pag. 14.	Lin. 23.	- - - - -	biduum
Pag. 15.	Lin. 3.	- - - - -	*diametri*
	Lin. 18.	- - - - -	*ignem*
Pag. 16.	Lin. 6.	- - - - -	*partim*

Reliqua B. L. Emendabit.